

Joachim Albinus Martin Weber

Secunda Disputatio Feudalis De Personis Feuda Dantibus Et Accipientibus

Rostochii: Ferberus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730872386>

Druck Freier  Zugang



26. (2) 4

SECUNDA
DISPUTATIO FEUDALIS
De
PERSONIS FEV-
DA DANTIBUS ET AC-
CIPIENTIBUS.

Quam

FEHOVA SUMMO FEVDORUM DATORE
AC TRANSLATORE ADJUVANTE,

Amplissimæ Facultatis Juridicæ in alma Rostochi-
ensi Universitate voto accedente,

SUB PRÆSIDIO
CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI
DN. JOACHIMI ALBINI
J. U. D.

Publicè tuebitur

MARTINUS WEBER, Gransæa Marchicus.

Ad diem 2. Decemb. horis à 7. matutinis, in Auditorio majori.



ROSTOCHII,

Typis AUGUSTINI FERBERI, Anno 1620.

*R. U. - Jun 1620 Albinus, Joachim
1c*

Universitäts
Bibliothek
Rostock



DISPUTATIO FEVDALIS II.

DE

PERSONIS FEVDA DAN-
TIBUS ET ACCIPIENTIBUS.

П А Р А Е К Е Т Н.

Cum omne jus, quo utimur, teste Hermogeniano lib. primo jur. epitom. hominum causa constitutum sit, l. cum igitur. 2. de stat. hom. parumq. sit jus feudale nosse, si Persona, quæ id constituunt, ignorentur, recte atq. ordine facturi videmur, si Origini, Definitioni ac Divisionibus Feudorum de Personis Feuda tam dantibus quàm accipientibus sequentem hanc cognitionem subjiciamus. De utrisq. conjunctim agendum est; Datio enim & acceptio sese mutuo respiciunt.

T H E S I S I.

Personæ Feuda Dantes nunc Domini (a) nunc Seniores (b) appellantur; Accipientes nunc Vasalli (c) nunc Fideles (d) nunc Clientuli (e) nunc Milites (f) dicuntur: A quibusdam etiam alijs nominibus (g) indigentur.

(a) c. un. §. 1. l. F. 1. c. un. 2. F. 4. c. un. in fin. 2. F. 23. & passim. Non tam dominij directi & proprietatis, quàm vetusti moris causa, quo aliquæ honoris gratia Dominum vocabant. l. quidam 26. ff. de constit. pecun. l. ea quæ 57. in pr. ff. de donat. inter vir. & uxo. (b) c. un. §. ult. in fin. l. F. 13. c. un. in fin. pr. 2. F. 52. non tam ætatis senectæ quàm reverentiæ ergo ita vocari, nostrâ linguâ Lehnherrn / (c) c. un. in Rubr. l. F. 23. & 26. An à Germanicâ voce Gesellen / an à Vassis seu Bassis Turcicis, an à basi, hoc est, funda-

mento Imperij ita dicti sint, in medio reli-
quimus. *Vid. Petr. Heig. lib. 1. quest. jur. civil. &*
Saxon. quest. 2. n. 76. & seqq. Herm. Vult. lib. 1. Feud.
6. 4. n. 13. (d) c. un. in pr. 1. F. 10. c. un. in pr. 2. F. 52.
Vid. disp. 1. th. 9. lit. A. (e) c. un. ibi nisi clientulus
sit gastaldus. 1. F. 10. (f) c. un. 2. F. 21. c. un. 2. F.
22. c. un. in pr. 2. F. 26. quia hoc institutum pri-
ma sua origine totum ferè militare fuit. (g)
Beneficiati, Inbeneficiati, Feudatarii, & Infeu-
dati. Horom. disput. feud. cap. 2. Germanis Lehn-
leute/ Lehnmanne/ Manne (unde Mangerichte)
liebe Gerrewen vocantur.

II.

Personarum inter Christianos pervetusta est divi-
sio (a) quâ alij Clerici (b) alij Laici (c) esse perhibentur;
De illis priori, de his posteriori loco cum Deo age-
mus. (d)

(a) teste Hieronymo in c. duo 7. caus. 12. quest. 1. (b)
α κ λ η ς & dicti, quasi de sorte domini, vel quia
domini partem habent *can. clericos. 1. distinct. 21.*
(c) *α λ α* & unde nonnullis populares nuncupan-
tur. *d. can. clericos. 1. (d) loco enim & religione*
eos qui in Laicali ordine consistunt præcedere
debent, *text. in can. ult. in pr. distinct. 4.*

III.

Inter Clericos primum locum tenet Pontifex Ro-
manus, is quin Feuda non solum in bonis suæ papalis
sedis, sed etjam in rebus omnium Ecclesiarum non in-
feudari solitis constituere possit, præsertim apud Ponti-
ficios, nullum est dubium.

c. ad Apostolicæ 2. vers. præter hæc regnum Sicilia. de
sentent. & re judic. in 6. Curt. Jun. in tract. de Feud.
part. 1. quest. 1. n. 3. Herm. Vult. 1. F. 3. n. 10. & 11.
Joan. Borch. in tr. de Feud. cap. 5. n. 3. Johan. Schneid.
in tract. de feud. part. 3. n. 6. & 9.

4. Pro-

IV.

Proximum à Pontifice locum tenent Patriarchæ,
quorum quatuor numerantur; Constantinopolitanus,
Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus.

*can. ult. & pen. distinct. 22. c. antiqua 23. ext. de pri-
vileg. His, cum jam diu, pro dolor, jugum Tur-
cicæ servitutis subierunt, feuda dandi facultas
erepta videtur, ut miremur, quare Feudistici
Commentatores de his agere soleant. Conrad.
Rittershus. disp. feud. 2. th. 36.*

V.

Hos subsequuntur Archiepiscopus (a) Episcopus (b)
Abbas (c) Abbâtissa (d) Præpositus (e) aliq̄ inferiores
Clerici (f) quibus omnibus infeudatio permiffa est. (g)

(a) qui *ἀρχιεπίσκοπος* seu Princeps Episcoporum.
*c. clericos § ordo in fin. distinct. 21. qui & Metropolita-
nus aliquando vocatur. c. non liceat 48. in pr. caus.
12. quest. 2. Joan. Schoner. lib. 1. disp. feud. 2. th. 24.
lit. c. Excipe tamen Archiepiscopum Medio-
lanensem, cui ex singulari privilegio ejus Ec-
clesiæ jus feuda dandi denegatur; is enim illas
res, quas tempore introitus sui in dominio in-
venit, etiam si antea feudales fuerint, in feudum
concedere nequit text. express. in c. un. vers. & idè
sciendum. 2. F. 35. Henric. Bocer. in tract. de invest. feud.
cap. 3. n. 55. & 60. (b) hoc nomen non tam ho-
noris quàm operis, teste D. Augustino in c. qui e-
piscopatum 11. in pr. caus. 8. q. 1. Græcum est enim
& inde ductum vocabulum, quod ille, qui præ-
ficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, cu-
ram eorum gerens, d. c. 11. (c) quasi Monacho-
rum parens, Justinian. in Novell. 5. cap. 9. Archi-
mandritam vocat; Quale sit ejus officium ele-
ganter explicat c. si quis. 15. caus. 18. quest. 2. (d) c.
un. in pr. 1. F. 1. c. un. in pr. 1. F. 6. (e) d. c. un. 1. F. 1.
& d. c. un.*

& d. c. un. in pr. 1. F. 6. (f) quales sunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistæ, Lectores, Psalmistæ & c. de quibus videatur d. can. clericos. 1. distinct. 21. & r. t. C. de Episcop. & Cleric. nec non Johan. Berch. in d. tr. de feud. cap. 5. n. 11. & seqq. (g) De proprijs & patrimonialibus, in quibus instar Laicorum liberè sine solennitatibus disponunt. Joan. Schneid. in d. tract. feud. part. 3. n. 21. De Ecclesiasticis non aliter quàm si antiquitus eorum mos ita fuerit, & res ante Urbani II. Pontificis in Sanctâ Synodo promulgatum decretum in feudari solitæ fuerint, ut inquit Gerardus Niger in d. c. un. 1. F. 6. Herm. Valt. d. lib. 1. feud. cap. 3. n. 10. in f. Dn. Conrad. Rittershus. lib. 1. part. feud. cap. 5. quest. 6.

V I.

Hinc non inutiliter quærent Feudistæ, an Episcopus rem in feudum dari solitam, & ad se reversam uti extraneis sic & Consanguineis & Adfinibus suis in feudum concedere possit? Adfirmantium sententiæ calculum adjicimus.

c. un. vers. dicitur etiam. 2. F. 91. arg. c. relatum 12. ibi consanguinei sint, sive alij ext. de testam. c. non astinemus. 19. caus. 13. quest. 2. Francisc. Duaren. in tract. de feud. c. 6. n. 5. Ludolph. Schrader. in tract. de feud. part. 4. cap. 2 n. 18. Francisc. Curt. Jun. in tract. de feud. part. 2. quest. 7 per tot. Johan. Schneid. in d. tract. feud. part. 3. n. 39. & seqq. Joach. Mynsing. cent. 5. observ. 47. n. 5. ubi huic sententiæ communem Germaniæ consuetudinem suffragari dicit. Vid. Fach. libr. 7. controver. cap. 31. quatuor de hac controversia Doctorum opiniones referentem.

V II.

Disceptari hic quoq; à Feudistis & Canonistis solet; si Episcopus primò feudum in suo Episcopatu existens

stens Sempronio, Pontifex verò postea idem Titio
concesserit, uter illorum in feudo præferatur? Nos
priorem præferendum ducimus.

*6. un. §. rei autem 2. F. 8. c. tibi qui gratiam. 12. de
rescript. in 6. Francisc. Curt. Jun. in d. tract. de feud.
part. 2. memb. 2. quæst. 12. quia prior Vasallus jam in
Feudo sibi jus quæsitum habet, quod ei à Ponti-
fice sine causâ auferri non debet. 1. id quod no-
strum 11. ff. de Reg. Jur. Joan. Schneid. d. tr. de
feud. part. 3. n. 15. Henric. Rosenth. in tr. de feud. rom. 1.
cap. 4. concl. 17. n. 13. & ibi in notis ad lit. D. novissi-
mè Georg. Obrecht in tract. de feud. lib. 2. cap. 1. n. 13.
Everh. Bronchorst. cent. 2. miscell. controvers. assert. 86.*

VIII.

Mortuo Prælato vacante sede seu prælaturâ, Colle-
gium sive Capitulum potest interim, dum ei successor de-
tur, infeudationem facere de bonis ad Ecclesiam rever-
sis; quamvis sint qui excipiant Ecclesiam, quam vocant
Cathedralem & Hum. Stifft.

*6. illa devotionis. 2. & ibi canonist. extr. ne sede vacante.
aliqui. innov. Oldar. Zas. in epit. feud. part. 5. n. 48.
Sonsbec. in tract. feud. part. 6. n. 4. Vult. in d. tr.
feud. lib. 1. c. 3. n. 11. in fin. Dn. Conrad. Rittershus.
lib. 1. part. feud. cap. 5. quæst. 11.*

IX.

Si Prælatus aliquem de feudo Ecclesiæ nondum
aperto, per expectativam quandam gratiam investie-
rit, (a) more, si Julio Claro, Dn. Rittershusio (b) & alijs
credimus, propter votum captandæ mortis alienæ non
laudatissimo, (c) & ante aperturam ejus interim dece-
serit; successor ejus aliter non teneret eam infeudatio-
nem ratam habere, quam si vel is, qui feudum ultimò
tenens sine successore feudali moriturus sperabatur,
vel Capitulum in eam consenserit. (d)

(a) Germa-

(a) Germani vocant ein Lehntwart oder Angeseß/
 sapissimè in aulis hoc sit. (b) lib. 1. part. feud.
 d. cap. 5. quest. 13 (c) l. licet. 19. d. l. fin. & ibi comm.
 D. d. C. de pact. (d) c. un. 1. F. 3. c. un. 1. F. 9. c. un.
 S. fin. 1. F. 25. c. un. in f. 1. F. 27. c. un. S. moribus. 2.
 F. 26. Johan Borch. in d. tract. feud. c. 7. n. 19. ubi et-
 tjam rationem diversitatis hoc in casu, inter
 laicalem & clericalem infeudationem tradit.
 Dn. Rittershus. d. quest. 13. Vld. Zas. d. tract. Feud.
 p. 5. n. 61. & part. 6. n. 19. & seqq.

X.

Monachos (a) non posse Feuda dare & Vafallos
 Abi constituere verius est. (b)

(a) qui licet nomine clericorum non veniant,
 sed illis opponantur l. generalitar. 52. ibi & præ-
 cipuè Monachos, licet non sint clerici, C. de
 Epist. & cleric. l. addictos. 6. C. de Episcop. audient. sub
 potestate tamen Episcoporum sunt Novell. 5.
 cap. 9. (b) Nam ingredientes Monasterium
 non sunt amplius Domini rerum suarum ullo
 modo, ut inquit Justin. Imp. in d. Novell. 5. cap. 5.
 6. quia ingredientibus. 7. caus. 9. quest. 3. Henr. Ro-
 senbal. in d. tract. de feud. tom. 1. cap. 3. concl. 4. n. 2.
 Jul. Clar. S. testamentum quest. 28. Herm. Vult. d.
 tr. cap. 3. n. 12. novissimè. Helfr. Ulric. Hann. in tract.
 de feud. c. 7. p. 128.

XI.

Et tantum de Clericis, qui feuda concedunt; se-
 quuntur jam Laici seu Seculares, qui majori libertate
 feuda tribuunt, nec refert Masculi vel Foeminae sint.

c. un. 1. F. 1. c. un. 1. F. 6. c. un. 1. F. 1. vers. foeminae quoq. &
 ibi Schenck. Baro & Alvarott. 2. F. 3. Bronchorst cent. 2.
 miscell. contro. assert. 85. Duar. d. tract. de feud. cap. 6.
 n. 11. Vult. d. cap. 3. n. 9. Schneid. d. tract. part. 3. n. 72.
 Rittersh. d. part. feud. lib. 1. cap. 5. quest. 22. novissimè

Hann. d.

*Hunn. d. cap. 7. p. 106. ubi Liborij Hattyseri in analys.
feud. c. 5. lit. T. aliorumq; foeminam feuda con-
stituere posse. negantium argumenta doctè refutat.*

XII.

Inter Laicos primas tenet Imperator Romanus (a)
qui procul dubio omnium confessione Feuda dare po-
test, cum sit fons omnium dignitatum & homo à Deo se-
cundus. (b)

(a) qui à Cæsare differt, nam Cæsar dicitur
qui Imperator designatus est, quiq; Imperium
ad Imperatoris nutum administrat *Johan. Schönk.
lib. 1. disp. feud. 2. th. 36.* Sic vivente Friderico
Imperatore Maximilianus, & vivente Carol.
V. Imp. Ferdinandus, & vivente Maximiliano
II. Imp. Rudolphus, II. Cæsares & Reges Ro-
manorum erant, & illis mortuis Imperatores
facti sunt. (b) ita eum vocat antiquissimus &
gravissimus scriptor *Tertull. in lib. ad Scapulam
referente Rittersh. d. cap. 5. quest. 15. in pr. & disp.
feud. 2. th. 11.*

XIII.

Potest autem Imperator ex plenitudine potestatis
non solum majora ac Regalia, sed etiam minora; non
solum Secularia sed etiam Ecclesiastica feuda, puta Epi-
scopatus, Abbatias aliasq; Prælaturas dare.

*e. un. in pr. 1. F. 7. c. un. 1. F. 14. c. un. 2. F. 10. c. un.
in pr. 2. F. 34. c. un. 9. item si clericus. 2. F. 40. & sa-
cilegium esse de hoc dubitare velle. ex l. 3. C. de
crim. sacril. dicit Joan. Jacob. Plebst. d. sp. feud. 3.
th. 10. lit. A.*

XIV.

Et non solummodo illa de patrimonialibus ac
proprijs, sed etiam pro amplificanda Imperij majestate
de Fiscalibus ac Imperij bonis constitui.

D

Vult. d

Valt. d. tract. de Feud. lib. 1. cap. 5. n. 17. Ludolph. Schrad. in d. tract. de feud. part. 4. c. 1 n. 7 & seqq. Vldar. Zas. in epit. feud. part. 5. n. 15. Hunn. in d. tract. de feud. cap. 7. p. 123.

XV.

Subditorum tamen bona propria, & quæ ab Imperio recognoscuntur, in feuda alteri concedere Imperator nequit, nisi publica utilitas ac necessitas hoc sua-
deat & justum & conveniens precium pro illis sit solutū.

c. un. in pr. 1. F. 7. arg. l. Venditor. 13. §. 1. ff. comm. prad. Ludolph. Schrad. d. part. 4. cap. 1. n. 23. & seqq. Didac. Covarr. lib. 3. variar. resol. cap. 6. n. 8. Ferdinand. Vaqui. lib. 1. illustr. controv. cap. 26. n. 7. Gail. lib. 2. observ. 56. n. 8. & 9. Hunn. d. tract. d. cap. 7. pag. 111. & 119.

XVI.

Imperatorem excipiunt alij Reges & Principes Superiorem non agnoscentes: quos similiter feuda dare posse extra dubietatis aleam positum est.

Quales sunt Rex Gallia, Hispania, Anglia, Polonia, Dania, & c. *Ludolph Schrad. in d. tract. de feud. part. 4. c. 1. n. 44. Francisc. Hotomann. disp. feud. cap. 9.*

XVII.

Proximi sunt Electores seu Septemviri (a) Archiduces (b) Duces (c) Marchiones (d) Comites (e) ac modernis moribus Barones, (f) qui Capitanei Regis vel Regni, à juris feudistici Compilatoribus vocantur. (g)

(a) tres nimirum Ecclesiastici & quatuor Politici seu Seculares, Moguntinus, Treverensis, Coloniaensis, Elector Palatinus, Dux Saxoniae, Marchio Brandenburgensis & Rex Bohemiae. *Vide Aur. Bullam Carol. IV. Imp. cap. 3. 4. & seqq. Fohan. Schneid. d. tract. d. part. 3. n. 59. & seqq.* (b) qui titulus in familiâ Austriacâ primum cepit. *Dn. Rittersh. lib. 1. part. feud. d. cap. 5. quest. 15.* (c) c. un. in pr. 2. F. 10. hoc est Domini exercitus, Germa-

nis Herz

nis Hertogen quasi Herrn des Rugs (d) qui de
 Marchiâ investiti sunt d. c. un. 2. F. 10. Hinc Land-
 gravij, Marchgravij, Pfaltzgravij, Burggra-
 vij Rheingravij. Herm. Vult. d. lib. 1. c. 4. n. 14.
 Georg. Obrecht. in d. tract. de feud. lib. 1. cap. 1. n. 50.
 & seqq. (e) d. c. un. in pr. 1. F. 10. (f) Vernaculâ lin-
 guâ Freyherrn / quasi liberi Domini, fortassis
 quod liberum illis fit, Comites fieri, quando-
 cunq; placet, sicuti Licentiatist licet Doctores
 fieri, quandocunq; ipsis libet. Herm. Vult. d. c. 4.
 n. 15. De origine vocabuli controversâ vide Jo-
 han. Borcholt. in d. tract. feud. cap. 5. n. 39. Petr. Heig.
 lib. 1. quest. jur. civil. & Saxon. quest. 2. n. 54. & Gre-
 gor. Tholosan. lib. 6. Syntag. jur. cap. 10. n. 6. (g) c. un.
 in pr. 1. F. 1. c. un. in pr. 1. F. 7.

XVIII.

Sequuntur Nobiles, quorum alij immediatè, (uti ple-
 riq; in Franconiâ Orientali, & Sueviâ die Freye Ritter-
 schafft) alij mediatè Imperio subjecti & dicuntur in jure
 nostro Feudali Valvasores (a) majores, qui verò ab illis
 rursus feuda tenent, Valvasini, id est, minores Valva-
 sores appellantur. (b)

(a) c. un. in pr. 1. F. 1. c. un. 1. F. 15. c. un. 1. F. 16. c. un. 2.
 F. 10. (b) dd. c. c. Herm. Vult. d. c. 4. n. 14. Borch. d. c. 5. n. 40.

XIX.

Ut autem quis feudum dare possit, non opus est ut,
 dignitate aliquâ polleat; Ignobilem enim adeoq; &
 Rusticum de suo allodio Vasallum sibi constituere,
 posse, ex communi Feudistarum calculo receptum est,
 nisi loci consuetudo, quæ ante omnia spectanda, di-
 versum suadeat.

c. un. in pr. vers. novi vero. 2. F. 3. Frid. Schenk. Baro
 in c. 1. in pr. n. 4. 1. F. 1. & ibi Laudens. n. 28. & Al-
 varoz. n. 7. Sonb. in d. tr. de feud. part. 6. n. 15. Ludolph.
 Schrad. in d. tract. part. 4. c. 1. n. 57. ubi testatur

hanc theſin & jure feudali Saxonico veriſſi-
mam, *Lehn-Recht art. 2. Liber. Hattſ. in analyſ.
feud. cap. 5. tit. Q. Noviſimè Hunn. in d. tr. de feud. c. 7.
p. 100. & Bocer. in tract. de inveſt. feud. cap. 3. n. 113.*

XX.

Is tamen, qui de novo feudum dare vult, juſtæ æ-
tatis, ſanæ mentis ac ſanorum morum ſit, neceſſe eſt;
Pupilli enim & Minores, Furioſi ac Prodigii a feudo-
rum datione arcentur.

*c. un. in pr. 2. F. 3. Vult. d. tract. lib. 1. cap. 3. n. 5.
Johan. Schneid. in tract. feud. part. 3. n. 83. Joan. Bor-
cholt d. tr. de feud. cap. 5. n. 42. Vide tamen Joan. Petr.
Surd. vol. 1. conſil. 5. n. 72. & 73. ubi minorem Prin-
cipem excipit quod & Joan. Schneid. d. tr. d.
part. 3. n. 84. ſimiliter facere videtur.*

XXI.

An Pupillus ſine tutoris auctoritate, Minor ſine
Curatoris conſenſu, veteris feudi inveſtituram reno-
vare poſſit? Controverſi juris feudatarij eſt; Adfir-
mantium ſententiæ uti communi, ita & veritati con-
ſentaneæ adſtipulamur.

*Henric. Roſenthal. d. tract. d. cap. 3. concl. 14. n. 3.
& ſeqq. Johan. Niellius diſp. feud. 2. th. 2. lit. A. Bron-
chorſt. cent. 2. miſcell. controverſ. aſſert. 84. Hunn.
d. tract. cap. 7. p. 132.*

XXII.

Procurator ſpeciale mandatum à Domino habens,
poſteſt ejus bona in feudum dare, cum Dominus ipſe de-
diſſe videatur: (a). Cæterum & Procuratorem univer-
ſorum bonorum cum liberâ ſi ex re & utilitate Domini
ſit, inveſtituram novi feudi facere poſſe, licet multi
contradicant (b) defendemus. (c).

(a) *c. un. §. 1. verſ. ſed utrum ipſe. 2. F. 3. (b) Joan.*

Niell. diſp.

*Niell. disp. feud. 2. th. 2. lit. B. Zas. d. tract. d. part. 5.
n. 41. Rosenthal. d. tract. d. cap. 3. consil. 9. n. 6. (c)
tum Helf. Vlr. Hunn. d. cap. 7. p. 128.*

XXIII.

Haëtenus de Personis feuda Dantibus: Reliquum est, ob mutuam relatorum naturam, qui feuda accipere possunt vel non videamus. Probè autem circa has Personas feuda accipientes, notandum, non agi hïc de ijs quæ feuda antiqua à parentibus vel majoribus vel agnatis ad se devoluta capere possint, sed de his quæ nova à domino primùm data accipiunt; de illis enim infra disput. 6. ubi de successione feudi, Deo dante, agemus.

XXIV.

Omnes autem cujuscunq; sexus, ætatis, status, Ordinis aut qualitatis sint, feuda accipere possunt, nisi nominatim quibusdam hoc interdicitur.

*c. un. §. 1. vers. Personam. 2. F. 3. c. un. §. si minore
rii. 2. F. 26.*

XXV.

Et ideo non habitâ ratione sexus tam Masculi quam Foeminæ, uti & Hermaphroditi, qui utriusq; sexus ostentant imaginem, in quibus hoc casu non attenditur, an in virilem, an in muliebrem sexum incalescant, Feuda de novo capiunt.

*c. un. §. filia. 1. F. 8. c. un. §. 1. vers. Personam 2. F. 3.
c. un. 1. F. 30. Ludolph. Sebrad. d. tract. part. 4. c. 3.
n. 7. Matthe. Wosenbec. de feud. c. 5. n. 2. Vult. d. c. 4.
n. 5. Borcholt. d. cap. 5. n. 44. & 45.*

XXVI.

Ætatis etjam non adhibetur discrimen; nam tam Minores, quam Majores vel solæ vel auctoritate tutorum &

rum & curatorum interveniente, dummodo infantiam
sunt egressæ, feuda accipiunt.

*d. c. un. §. 1. vers. Personam. 2. F. 3. c. un. §. si mi-
nori. cum §. seq. 2. F. 26. Vult. d. c. 4. n. 6. Schrader,
d. part. 4. d. c. 3. n. 5. Borcholt. d. c. §. n. 46. ubi etiam
post Cujac. in l. 2 ff. de excusat. tutor. quinq; ætatis
gradus eleganter explicat. De controversiâ,
an infans per se, tutore auctore feudum capere
possit vid. Hunn. d. tr. c. 8. p. 173. hęc affirmantem,
& Herm. Vulteiun, Johann. Borcholt. Matth. Wesenbec.
Zaf. & alios contrarium statuentes refutantem.*

XXVII.

Non etiam attenditur cujus status vel conditionis
sit feudum accipens; nam tam Liber quàm Servus, tam
Paterfamilias, quam Filiusfamilias illius capax est.

*d. c. un. §. 1. vers. nam & servus. 2. F. 3. c. un. 2. F. 106.
Vult. d. c. 4. n. 7. Hart. Hartman. pract. observ. tit. de
feud. observ. 1. Zaf. d. part. §. n. 62. & 63. Borcholt. d.
cap. §. n. 27. Et quod de Servo dicimus multo
magis in hominibus proprijs, vulgò *Leuthegen*
Leutshen obtinet; Hi enim propria bona
possident, & quicquid acquirunt, sibi non
domino acquirunt, uti post. Zaf. & And. Gail. do-
cent Henric. Husan. in tr. de hom. propr. c. 6. quæst. pr.
4. part. 1. memb. 1. n. 24. Georg. Obrecht. in d. tr.
de feud. lib. 2. c. 2. n. 61. Vult. d. cap. 4. n. 7. vers. non
utimur.*

XXVIII

Eleganter hic quæritur, an feudi Filiofamilias dati
ususfructus Patri acquiratur? Multi adfirmant (a)
multi negant (b). Hos melioribus rationibus subnixos
nos sequimur.

(a) *Sonsbec.*

(a) *Sonsbec. tract. de feud. part. 7. n. 8. Curt. Junior. d. tract. part. 3. memb. 2. n. 46. p. 180. Schrad. d. tract. de feud. part. 7. c. 6. n. 7. Fach. lib. 7. controp. 6. 77. (b) Joan. Schoner. lib. 1. diff. feud. 2. th. 57. Hartyser. in analys. feudal. cap. 6. lit. C. Roland. d. Vall. consil. 71. n. 65. vol. 2. Vult. d. tract. d. c. 4. n. 18. vers. sed an feudo. novissime Hunn. d. tract. c. 8. p. 144.*

X X I X.

Porro nec ulla ordinis hic habetur ratio, Tam enim Personæ Ecclesiasticæ (a) quam Seculares (b) tam Collegia & Universitates, (c) quam Personæ singulares feuda sibi adquireunt.

(a) uti Pontifex Romanus, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, aliq; Prælati; c. un. §. fin. 2. F. 80. c. extranmissa. 6. ext. de for. compet. De Monacho an feudum accipiat, acriter inter Feudistas disputatur? Nos adfirmamus, feudumq; ipsi datum Monasterio, si modo hoc per regulam sui Ordinis licet, adquiri statuimus. *Vult. d. tr. d. c. 4. n. 9. vers. imò verò. Rosenthal. d. tract. tom. 1. c. 3. concl. 4. ubi n. 3. Franciscanos ac Cistercienses Monachos tanquam feudorum incapaces excipit. (b) ut Imperator, Reges, Duces, Comites, & c. c. un. 1. F. 100. Vult. d. c. 4. n. 10. ubi adducit exemplum Imperatoris Caroli V. uti & Regis Hispaniæ, Angliæ, Daniæ. Schrad. d. part. 4. c. 3. n. 11. (c) Rittershus. d. diff. feud. 2. th. 59.*

X X X.

Postremo cum nec qualitas sensuum hic in considerationem veniat, Feudistæ Furiosos, Dementes, Surdos, Mutos, Cæcos & morbo fontico laborantes, feudi novi capaces esse statuunt; Sed hoc de raro contingentibus, seu ἐν ὀλίγοις nobis esse videtur.

Nemo enim dat talibus facile feudum, nisi forte commiseratione erga eos motus, *Rittersh.*

d. diff.

*d. disp. feud. 2. th. 53. Si tamen sciens dederit, est
quod sibi imputet arg. l. cum mandato. 23. in f.
ff. de minor.*

XXXI.

Hæreticos tamen, uti & Apostatas, Bannitos &
excommunicatione majore Excommunicatos, itemq;
publico crimine condemnatos, à feudatario beneficio
planè arcemus.

*c. un. in fin. pr. 2. F. 28. Vult. d. c. 4. n. 12.
Gail. 2. obs. 86. n. 10. & lib. 2. de Pac. publ.
c. 1. n. 24. Georg. Obrecht. d. tr. de feud.
lib. 2. c. 2. n. 17. & seqq. Johan. Schneid.
d. part. 3. n. 108. in f. Borcholt. d. c. 5. n. 53.
novissimè Hunn. d. tract. de feud. in calce
capituli octavi.*

Corollarium

AN Legatus à latere possit Feudum dare con-
trovertitur? *Matth. de Afflict. in c. un. 1. F. 1. n. 52.
Adfirmat per c. 1. & c. ult. Ext. de offic. Legati. Bald.
in d. c. un. 1. F. 1. n. 12 negat, quem sequuntur Uld.
Zas. Epit. Feud. part. 5. n. 46. Ludolph. Schrad. in tract. de
Feud. part. 4. cap. 2. n. 5. & novissimè Georg. Obrecht.
in tr. de Feud. lib. 2. cap. 1. n. 17.*



Disput. 3.

(a) *Sonsbec. tract. de feud. part. 7. d. tract. part. 3. memb. 2. n. 46. tract. de feud. part. 7. c. 6. n. 7. Fa Hattysen in analys. feudal. cap. 6. Vall. consil. 71. n. 65. vol. 2. Vult. d. vers. sed an feudo. novissime Hunn.*

XXIX.

Porro nec ulla ordinis hic h
enim Personæ Ecclesiasticæ (a) qu
Collegia & Universitates, (c) qu
res feuda sibi adquireunt.

(a) uti Pontifex Romanus, A
Episcopus, Abbas, aliq; Præla
2. F. 80. c. extranmissa. 6. ext. de
Monacho an feudum accipiat, a
ditas disputatur? Nos adfirma
ipfi datum Monasterio, si mo
gulam sui Ordinis licet, adquire
d. tr. d. c. 4. n. 9. vers. imò verò. R
tom. 1. c. 3. concl. 4. ubi n. 3. F
Cirstertienfes Monachos tanq
incapaces excipit. (b) ut Impe
Duces, Comites, & c. c. un. 1. F. 11
10. ubi adducit exemplum Imp
V. uti & Regis Hispaniæ, A
Schrad. d. part. 4. c. 3. n. 11. (c)
feud. 2. th. 59.

XXX.

Postremo cum nec qualitas sen
rationem veniat, Feudistæ Furios
dos, Mutos, Cæcos & morbo
feudi novi capaces esse statuunt;
tingentibus, seu *ἐνωπαλὸν* nobis

Nemo enim dat talibus facile
forte commiseratione erga eos

the scale towards document




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

o, Tam
es (b) tam
e singula

confide
tes, Sur
orantes,
rarò con

d. disp.